

communis Veneciarum in presenti pace cum eorum subditis, rebus et bonis includantur et inclusi habeantur. Item fuit actum inter dictas partes dictis nominibus, quod non obstantibus aliquibus pactis vel conventionibus inter dictas partes hinc retro factis tam commune Veneciarum quam prefati domini et commune Padue et quilibet eorum intra confines qui terminabuntur et declarabuntur ad quamlibet dictarum partium pertinere possit et valeat quamlibet ipsarum partium intra terminos et confines suos licite et impune et pro sue beneplacito voluntatis construere et hedificare et construi seu hedificari facere quecunque castra, turres et fortilia et constructa tenere. Item fuit actum, inter dictas partes nominibus antedictis, quod si contingat prefatos dominos et commune Padue, vel alterum ipsorum in futurum acquirere vel in eos vel eorum alterum quomodolibet pervenire civitates Feltri et Belluni vel ipsarum alteram, quod non obstantibus aliquibus pactis vel conventionibus inter dictas partes dictis nominibus hinc retro initis prefati domini et comune Padue seu aliquis eorum non intelligatur nec sit obligatus vel obligati dicto domino duci et communi Veneciarum ad sibi tradendum, restituendum vel dimittendum Casamattam, Turrem Sanctiboldi et Clusam Queri, nec aliique dictorum locorum. Item fuit actum et conventum inter dictas partes, quod facta pace presenti omnes pallate et passus ducalis dominii et prefatorum dominorum et communis Padue aperiantur hinc inde, sicut et prout erant ante presentem guerram. Item cum in pace supradicta inita inter prefatum magnificum dominum ducem et commune Veneciarum ex una parte et predictum dominum et commune Padue ex altera, facta in millesimo trecentesimo septuagesimo tercio, die vigesimo primo Septembbris, scripta manu Candini de Uragis notarii et scribe domini Padue appositum et insertum fuit quoddam capitulum tenoris et continentie subsequentis: Ceterum promisebunt dicti procuratores et sindici prefati domini seu vicarii et communis Padue dictis nominibus suprascriptis sindicis domini ducis et communis Veneciarum stipulantibus et recipientibus nominibus